

1177

1994
A
1386





ASSERTA LEGALIA,
DE NEGOTIIS
GESTIS ET CAL-
LUMNIATORIBVS.

Vbi obiter materia Alimentorum immixta.

QVÆ
Diuina afflante Aura.

PRÆSIDIBVS
Clarissimis & Consultissimis Viris ac DD.

Dn. PETRO OSTERMANNO, I. V. Doctore, &
Dn. ARNOLDO MAESS, SS. LL. Licentiato,
respectiuè Dictatore & Fisco.

*More inueterato in Antiquissima Agrippinensis Vniuersitatis
Iuridica Facultatis Collegio, examini publico discu-
tienda exhibet ac submittit*

PETRVS HANNIBAL à Saffenburg, Schledensis.
Anno repar. Salutis 1629. die 3. Maij.



IO.

COLONIE AGRIPPINÆ,
Excudébat Petrus Metternich, prope Augustinianos.



DE RECOGNITIONE

ASSERTA LEGALIA

DE RECOGNITIONE

GESTIS ET CA

LUMINATORIVS

Vbi continetur materia A. mensurae in...

QVAE

Primo...

Secundo...

Clarius...

Dr. Petro Ostermanno, J. V. Doctori

Dr. Arnoldo...

...

...

...

...

Parte...

Anno...



10

...


...

...

...

...





CONTINUATIO.



Actenus de personis que in iudicio, cum, vel sine mandato domini interueniunt, expositum fuit, iusto nunc methodi ordine, de his, qui aliena negotia, tam in, quam extra iudicium sine mandato domini administrant, compiler Digestorum pergit, quos negotiorum gestores, *tot. tit. ff. & C. de negot. gest. nuncupat, eamq; materiam utpote necessariam, teste Vlpiano. in l. 1. ff. h. t. pro ingenij modulo discutiam.*

CONCLUSIO PRIMA.

Gero multis modis accipitur, in cuius significatione, multos esse lapsos, ait *Olden. class. 4. act. 25.* nunc idem significat, quod portare, unde sella gestatoria, gestamen militare, gestamen Prætorium, quod milites vel prætores gestabant: aliquando pro adserere, hinc pro hærede se gerere, & asserere se hæredem etiam si non sit, dicitur, *l. 20. in prin. ff. de acquir. her.* pari ratione gerere, agere, & facere discriminantur, agere dicimur verbis & re iuxta illud Martialis:

Semper agis causas, & res agis Attale semper

Est, non est, quod agas, Attale semper agis, &c.

Gestum significat rem sine verbis factam, *l. 19. ff. de V. sig. ibi Gædd. n. 7. & 12.*

2. Gerere denique non raro pro administrare usurpatur, ut alterius gerere negotium *eines andern Geschäften verwalten oder ausrichten/* in hac vulgata regula, qui per alium gerit, per se gerere videtur, *l. 5. §. 3. de admin. tut.* de hac significatione deinceps.

3. Est igitur negotiorum gestio quasi contractus, quo quis alterius negotium, sine mandato domini gerendum suscipit, *l. 5. in pr. ff. de O. & A. l. 2 ff. hic.* unde is qui taliter gerit, negotiorum gestor indigitatur, *l. 33 §. fin. ff. h. t. qui Cuiac. 10. obs. 25.* voluntarius Procurator, & Marco Tullio, voluntarius amicus est. Dico (quasi contractus) *per tit. Instit. de oblig. quæ ex quasi contractu nascuntur.* ubi Iustinianus negotiorum gestionem, quasi contractibus aperte annumerat, nec refragatur, quod negotiorum gestio in se synallagma, siue causam contineat) causa autem sit forma essentialis contractus, *l. 1. §. 2. ff. de pactis.* Ad id responderi potest, formam quidem in negotiorum gestione, sed non materiam contractus, quæ est consensus expressus, *l. 1. §. 2. ff. de pact. re-*

periri. Contractus definitionem eiusq; varias obiectiones, hic incidenter videre est apud *Gædd. in d. l. 19. de V. S. n. 19. & 22.*

4. Licet rei veritate inspecta, hæreditati iacenti nihil acquiri possit, eò quod hæreditas iacens nullius in bonis esse dicatur, *l. 1. in princ. ff. de Res. diuis.* neque negotia eius geri valeant, æquitate tamen & fictione iuris inspecta hæreditatis iacentis, *l. 3. §. 6. ff. hic Pac. Cent. 2. ant. 49.* & non tantum ignorantis, *l. 2. ibi licet ignorantis. ff. hic.* sed etiam scientis, *l. 19. §. 2. ff. eod.* negotia geruntur, neq; ex tali patientia domini, nisi præsens sciat & simul non contradicat, mandatum præsumi aïo, *l. 53. ff. mandati, l. 6. C. eod. l. 60. ff. de R. I. Suarez in thesauro recep. sent. lit. M. n. 31. dissent. Vasq. 2. illust. contr. num. 7.*

5. Hæc negotiorum gestio duplex, necessaria, vel voluntaria, *l. 3. §. pen. ff. l. 20. C. h. t.* illa est, cum quis coactus gerit, idque vel necessitate urgente, vt cū curator Adolescentis furiosi, mente capti, prodigiue, res administrat, *l. 3. §. 5 ff. l. 6. C. h. t.* vel cum executor à Iudice datus, mea negotia gerit, *d. l. 3. §. 8. ff. hic.* Item cum tutor negotiorum gestionem posthumi inchoatam, etiam si posthumum nasci non contingeret, perficere tenetur, *l. 29. ff. hic. l. 19. §. fin. ff. de testamen. tut.*

6. Hæc voluntaria scilicet est, quando quis sponte & nulla necessitate cogente, negotijs alienis se immiscet, *d. l. 3. §. pen. ff. & l. 20. C. hic.* veluti si quis absque mandato, se in rebus alienis obligauerit, vel pro alio fideiusserit, *l. 32. l. 46. §. 1. ff. eod.* Hic non inopportunè queritur, ane & is, qui cum tutor non esset, pro tutore res pupilli administravit, actione negotiorum gestorum teneatur? Neg. Cum ei detur actio pro tutelæ, ab hac actione distincta, & separata, *l. pen. ff. de tut. & rat. distr. Treut. hic. th. 3. lit. A.*

7. Voluntaria quoque negotiorum gestrix Mater, si quid in rebus filiorum animo repetendi expenderit, nuncupatur, *l. 11. C. h. t. ibid. Bald. n. 2. vers. Si vero pater discesserit.* animus autem repetendi colligitur primò ex eo, si protestata sit, se animo repetendi impendere *l. 34. ff. h. t.* Secundò, si in librū expensarū illos retulerit, *d. l. 34.* Tertiò si necessitate aliqua rei suæ, vel temporis aluit, nō videtur materna pietate aluisse, quia in necessitate nemo liberalis, *l. 18. ff. de adim. legat.* Quartò animus repetendi præsumitur, quando magnæ sunt impensæ, tunc enim præsumptio donationis cessat, cum nemo in dubio suum iactare, *l. 25. in princ. ff. de probat.* & fatuitas potius, quàm donatio præsumatur. Secundum *Bald. in l. generaliter. C. de non numerat. pecun. vide Menoch. lib. 2. de arbit. iud. cas. 88. in princ.* idq; maximè in mulieribus obtinet, quod genus hominum avarissimum & citius sibi dentem ex ore excuti finit, quàm vnum nummum ex oculis erogat, *arg. l. 4. §. 1. ff. ad S. C. Vellei.* Secus si modicæ sint impensæ, hoc enim casu censentur factæ animo donandi, *Surd. in tract. de alim. tit. 6. q. 8. n. 29.* quæ autem modicæ, & quænam magnæ dicantur, id iudicis arbitrio, cum *Menoch. d. loc. casu 88 n. 27.* relinqui rectius dixeris.

8. Sed

8. Sed priusquam longius progrediar, non abs re fore putem, si nonnihil ex celeberrima alimentorum materia, hic parergi loco immisceam.

9. A Patre non solum filij legitimi, sed etiam naturales alendi veniunt, *Auth. licet. C. de natur. lib. Cynus in Auth. ex complexu C. de incest. nupt.* non solum iure ciuili, sed & canonico. *Marsil. sing. 358 Crauet. in consil. 89. n. 1.* Spurijs & incestuosis ius ciuile, *d'cta auth. licet. & Auth. ex complexu*, non autē ius canonicum alimenta denegare benignius dixeris, *c. cum haberet in fin. quid dux. in vxor. quam pollu. per adult. vbi Abbas not. post gloss. Surd. d. tit. 1. q. 10. num. 5.*

10. In tantum vt ne pater quidem in contrarium etiam medio iuramento disponere, *Surd. d. tract. tit. 1. q. 9. n. 2. & 5.* aut statutum liberis alimenta denegans, subsistere queat, *Cynus in l. Sancimus. C. de nupt.* idem iudicium de filio emancipato esto, *l. 5. §. 1. ff. de agnosc. lib. Cagn. in l. vnica. C. quando non petent part.*

11. Hæc de patre naturali, quid de vitrico. hic si sumptus faciat in rebus priuignorum (remota distinctione, an in rem, an in personam sint facta) negotiorum gestorum actionem habet, *l. 15. C. hic.* In dubio animo repetendi facti præsumuntur. *Ben. Capra. cons. 105. n. 5.* maximè si sumptus sint maiores, *Ioan. Garf. tract. de expen. c. 4. n. 24.* etiam si bona priuigni, vitricus administret aut priuignus vitrico operas præstet, etsi enim vtroque hoc casu vitrico ad repetenda alimenta in priuignum impensa, actio non competat, tamen certum est, eum bona priuigno restituentem, alimenta reputare posse, *arg. l. 24. vers. audiendos, ff. hic. Mart. Coler. 1. de alim. 4. n. 25. & seq.*

12. Quomodo operæ illæ vitrico præstitæ æstimari debeant, vide pulchrè *Mart. Coler. 3. de alim. 5. n. 25. & seq.* Priuignos loco liberorum habendos, vult *Cuiac. 9. obs. 8.* Vitricus nobilis in priuignum pauperem alimenta animo donandi erogasse præsumitur, facit quod nobiles facilius præsumantur donare, *Tiraq. in tract. nobil. c. 37. n. 47.* ampliatis, quod parum eis videatur dare, quando multa donant. Exemplo *Comitissæ Martilda*, quæ aliquantulum terræ dicebat se in ecclesiam contulisse, cum donasset triginta milliaria terræ. hæc liberalitas nobilium cum primis dubitabilis videtur *Menoch. d. cas. 88. n. 49. & n. 52.* vbi pulcherrimum modum, repellendi impudentes postulatores, refert, exemplo *Antigoni Macedonum Regis*, qui à *Trafyllo Cynico* rogatus vt drachmam ei daret, respondit, non est regium munus, *Cynico* subiiciente, talentum igitur da, at non est, inquit, *Cynicum* tale munus accipere.

13. Hic quæstionis non incongruè esse posset, an mater perinde ac pater filios alere teneatur, cum illa certa, hic incertus esse dicatur, *l. 5. ff. de in ius voc.* iuxta illud vulgare dicterium:

Cur mater sobolem Patre diligit arctius? hinc est,

Esse suam mater scit, Pater esse putat.

Neg. sed intra triennium illos lactare obstricta est, *l. pen. C. de pat. potest.*

Neuiz. in sylua nupt. lib. 3. n. 36. ratio glossæ est in *l. si quis à liberis. §. si mater. ff. de alien. lib.* quod lac præstare, sit modica impensa, meliorem iudico rationem. *Surd. tit. 1. q. 14. n. 2.* quod natura docuit omnia animalia à matribus ali, dum lacte viuunt. Hinc *Plutarchus* ait ideo naturá collocasse mammas in superiore parte foeminei corporis, & quasi in medijs amplexibus, vt doceret infantem tenere & molliter à matre tractandum & alendú esse.

14. Alere tamen mater liberos cogetur, quando filius egenus est, & non habet vnde viuat, *Auth. Si Pater. C. d. uort. fact. apud quem liberi.* Aut soluto per diuortium matrimonio, *Schneid. Inst. de Iur. nat. gent. n. 11.* Item exacto triennio si vel pater sit inops, vel aliunde filius non habeat, *Surd. d. quest. 14. num. 9.*

15. Excusatur mater ne filium lactet, si ipsa sit pauper, & egestate laboret, si lac ei non suppetat, si ex causa postea detecta separentur coniuges, vt quia matrimonium sit nullum, tum mater & pater alunt filium communibus impensis, etiam trimo minorem, *Vital. in tract. Claus. tit. an alim. renunc. possit col. 6.*

16. Matres nobiles aut illustres, liberos suos nõ minus quàm ceteræ inferioris conditionis lactare debere, *vide thes. 4. d. sp. 1.* Has reprehendit *D. August. in cap. ad cuius concubitum dist. 6.* Praua, inquit, consuetudo in coniugatorum moribus irrepsit, vt filios, quos gignunt, nutrire mulieres contemnant, eosq; ad nutriendum alijs mulieribus tradant, quod videlicet ex sola carnis incontinentia videtur fuisse inuentum, quia dum se continere nolunt despiciunt lactare quos gignunt.

17. Hactenus de alimentis quæ parentes liberis, nunc de illis quæ liberi parentibus, præstant, videamus: Parentes igitur inopes, filius diues alere tenetur, *l. 5. C. de alend. lib. d. Auth. si pater C. diuort. fact. l. fin. C. de vid. toll. & naturalis ratio postulat, vt beneficienti beneficiamus, arg. l. 25. §. 11. ff. de pet. hered.* nam liberi non solum reuerentiam, sed etiam vitæ subsidium tenentur parentibus exhibere, *l. 5. de patr. potest. & Prouerb. 28. dicitur.* quod homicidæ particeps sit, qui patri subtrahit necessaria, *Aristot. lib. 3. œconom.* ait, quod sicuti parentes aluerunt filios imbecilles, ita mox ipsi imbecilles senio facti eadem alimenta, valentibus filijs, reportare debent, *Xenophon de œconom.* dicit præter cæteras, hac ratione rectè fore matrimonia instituta, vt haberemus à quibus nostra senectus aleretur.

18. Et hoc in tantum verum est, vt etiam patri bannito, *Gloss. in cap. si qui filij. 1. dist. 30. Nellus in tract. Bannit. in 1. part. secundi temp. n. 48. & Infideli, Iudæo nimirum, in d. cap. si qui filij. Surd. sæpè allegato loco tit. 1. quest. 18. n. 3.* alimenta suppeditare filius debet. Ratio est, quia etsi legum contemptor & impius sit, pater tamen est, *Nouell. 12. cap. 2.* Et licet banniti amittant beneficia Iuris ciuilibus, non tamen amittunt ea, quæ sunt iuris gentium, *Bart. in l. amissione. §. qui deficiunt. ff. de capit. minut.*

19. Si autem filius quid pro patre non animo donandi soluat, quod in dubio

bio præsumitur nisi pater contrarium probet, actione negotiorum gestor-
rum repetere potest *Dd. in d. l. 12. C. hic.* & in dubio statur declarationi filij,
Surd. quest. 9. tit. 6.

20. Quin imò frater pauper & inops à fratre diuite alendus est, *l. 4. ibi
gloss. ff. vbi pupill. educ. deb. Cyn. in. l. 2. C. de alend. lib. n. 2.* quod amplius est, so-
rorem egenam dotare tenetur, eò quod causa dotis æquè fauorabilis sit ac
alimentorum, *Cyn. in l. omni. C. de administ. tut.*

21. In dubio autè, si quas expensas frater in fratrem vel in sororem (pau-
pertatis casu excepto) fecerit animo donandi fecisse præsumitur, *l. 16. C. de
negot. gest.* pariterq; si pro fratre cohærede pecuniam expendat, actione ne-
gotiorum gestorum experiri potest.

22. Cum inter onera, quæ marito incumbunt, referatur quoque nutri-
tio vxoris, consequens est, vt maritus teneatur illam alere, *l. 12. §. 8. ff. sol. ma-
trim. l. 20. §. 2. ff. famil. ercisc.* quin etiam maritus ægram vxorem curare tene-
tur, sic vt quod in curam ipsius erogauerit, à focero repetere non possit,
l. 13. C. h. tit. Et quamuis pietas suadeat funerare defunctam coniugem, non
tamen eadem pietas flagitat proprijs hoc facere sumptibus, *l. 14. §. 7. ff. de re-
lig. & sumpt. funerum.* quod cum Saliceto *in d. l. 13.* ita accipio, si dos apud
maritum non remaneat, nam tenetur in tantum, in quantum facere potest,
videtur autem tantum facere posse, quantum deducto ære alieno superest,
impensæ vero funerum æs alienum est dotis *l. 13. ff. de religios. & sumpt.* quod
Dd. extendunt ad dominum, vt famulum infirmum curare teneatur, si modi-
cæ sint impensæ, *Schneid. in §. igitur. Instit. de oblig. ex quasi contract.*

23. Visis casibus, quibus alimenta relinquuntur, breuiter inquirendum,
quæ relicta finiantur: Primò, si mortuus fuerit alimentarius, non transeunt
ad hæredes, *l. 8. §. 10. ff. de transact. l. 27. in fin. ff. quando dies legat. Bald. in Auth.
Cui relictum circa fin. vers. quid enim? C. de ind. vid. toll.* etiamsi relicta sint cum
certa temporis determinatione, puta ad decem annos. Si alimentarius in-
terim decedat, finitur obligatio, *l. 20. ff. quando dies legat.* idque solummodo
de morte naturali, non ciuili intelligendum, vt si is cui alimenta debentur,
capite minuatur vel deportetur, nihilominus illi alimenta, quo ad vitæ su-
perstes fuerit, debentur, *arg. l. 10. ff. de cap. min. l. 11. ff. de alim. vel cib. leg.*
intellige quando vna est causa secus si plures sint, licet tunc vna cesset, non
propterea cessat legatum vel alimenta, *arg. §. affinitatis Inst. de nupt. Zuc-
card. in l. fin. C. de edicto D. Hadrian. toll. n. 24. limit. 4.*

24. Sed ne limites instituti nostri transgrediamur, ad materiam proposi-
tam nos recipiamus, si quid ergo in communem rem vel hæreditatem im-
pensum fuerit actione negotiorum, non familiæ erciscundæ, at t communi
diuidendo repetitur, *l. 41. in princ. ff. de reb. cred.* Si quas res sponsus sponsæ
donare volebat, pater aut mater puellæ acceperit, quæritur qua actione il-
lius hæredi teneatur? Negotiorum gestorum actionem competere, dico *l. 32
§. 1. ff. de negot. gest. Pac. cen. 2. anti. 64.*

25. Si quis aliena negotia administrans, pecuniam in suos usus conuertat, maximas, id est, centesimas vsuras præstare cogitur, quia ob licentiam, qua abutitur, dum sibi nummos alienos accipit, maximis vsuris vice poenæ subijcitur, *l. 38 ff. de negot. gest. Hanc legem, 38. cum l. 10. §. 3. ff. mandati.* ita non incommodè reconciliabis, si aliud esse in mandatario, aliud in negotiorum gestore, qui clam, videtur administrare, dixeris, *Cyn. in l. 7. ff. de admistr. tut. per l. 54. ff. eod. tit.*

26. Qui negotiorum gestori mutuum pecuniam dederit, sic demum à negotiorum gestore repetet pecuniam, si probarit eam fuisse in utilitatem domini conuersam, *l. fin. ff. de exer. it. act. adde l. 1. §. 9. eod.* idem dicendum, si administrator reipublicæ creditam accipiat nomine reipublicæ pecuniam, tunc enim respublica non obligatur, nisi probetur pecunia in eius utilitatem versa *l. Ciuitas. 27. ff. de reb. cred.* alioquin non respub. sed administrator, condictione causa data, causa non secuta, conueniendus foret, *Bart. cons. 94. incip. viso puncto:* Ceterum si ciuitas ipsa pecuniam mutuauerit, tunc obligatur, licet in utilitatem eius versa non sit, *Hunn. lib. 5. var. resol. tract. de reb. cred.*

27. Vtrum ciuitas ex delicto obligetur? id affirmant *Dd. in l. metum. §. animaduertendum ff. quod metus causa.* nos hanc controuersiam ita conciliamus, si tale delictum sit, quod deliberato omnium consilio factum sit, vel fieri potuit, nec ne, tunc ciuitas obligetur, secus si paucorum consilio factum sit, vel fieri potuit, puta homicidium, dolus, &c. singuli illi qui vel tumultum fecerunt, aut turbæ interfuerunt, tenebuntur, vt singuli, reliqui vt & ipsa vniuersitas, erunt liberi à poena, *Gædd. in l. 27. §. 21 ff. de verb. signif. sic refert Io. de lign. in cle. 1. de poen.* se alias cum maximo honore defendisse, ciuitatem Bononiæ coram Papa, vt non possit ciuitas tanquam rebellis puniri vel subijci interdicto, etsi homines ciuitatis fecissent rebellionem, ex quo non apparebat, quod de hoc non præcessisset collegialis deliberatio.

28. Gerere possunt omnes, qui obligationem consensu vel quasi consensu contrahere valent, *l. 3. hic.* siue masculi, siue foeminae, siue sui iuris, siue peculium habeant, *l. 6. ff. h. t.* exceptis pupillo & furioso, qui quamuis tantum quatenus locupletiores facti sunt ex eo negotio, quod necesse non fuit gerere, teneantur, *d. l. 3. §. 4. ibi gloss. in verbis furiosi in fin. l. 6. in princ. ff. h. t.* at tamen cum agunt compensationem eius quod gesserunt, patiuntur. *d. l. 3. §. 4. ff. hic.* qui omnes vicissim ex hoc quasi contractu obligantur, *Gædd. in disp. ad pand. 6. thes. 23. Vvesenb. in parat. hic n. 3. & 4.*

29. Porro vt de actione ex hoc quasi contractu descendente, distinctim agamus, est illa prætoriana, *l. 1. §. 3. ff. hic.* personalis, *l. penult. C. eod. §. 1. Inst. de obligat. qua ex quasi contractu.* perpetua, tam hæredi, quam contra hæredes competens, *l. 3. §. 7. ff. l. 6. C. hic. bonæ fidei, l. 7. ff. h. t.* & dicitur negotiorum gestorum, *l. 2. ff. eod.* Negotium deriuatur ab Ocio, addita particula Ne, & proprie significat in iure id quod inter duos actum est, *l. 33. ff. de cond. indeb. Vvesenb. d. loc. n. 4.*

30. In genere ita describi potest, quod habeat locum, quando quis aliena negotia in alicuius absentia sponte & sine mandato utiliter gessit, *d. l. 2. hic. Schneid §. actionum Inst. de action. de neg. gest. actione. pag mihi 880. n. 1.*

31. Utilitatem metiri oportet non ex opinione gerentis, sed ex illius cuius negotia gesta sunt, quid enim, si quis arbitratus fuerit se utiliter gerere, sed patrifamilias non conducebat? veruntamen ubi gerens probarit, secundum communem opinionem censerit utile quod fecit reiiciendo onus probandi in dominum, ut is doceat rem gestam sibi in specie onerosam esse vel saltem non necessariam neque utilem, *l. 10. §. 1. ff. h. t. Olden. class. 25. n. 4. in fi.*

32. Estque hæc actio duplex, una directa, altera contraria, siue utilis, *l. 47. ff. de negot. gest.*

33. Directa dicitur, quæ ex verbis simul, & mente legis proficiscitur, unde & directa appellatur, quod ex lege recta descendat, utilis vero actio, quæ ex sola legis mente, per interpretationem deducitur, *l. 17. C. h. t. l. 7. C. arbitr. tut.* & hanc diuisionem hodierno usu celebrari assero, nec obstat, *l. 47. h. t. ego saluo aliorum iudicio, existimo in d. l. 47. id solum velle.* Item, quod quo ad effectum, nihil interfit inter actionem utilem, & directam, differant tamen, quo ad causam, & media concludendi, *Vvesenb. in parat. hic. n. 9. aliter Gædd. ad l. 34. n. 2. de verb. signific. aliter Hillig. ad Donell. aliter Forcat. vide Treut. disp. 10. thes. 5. lit. A. Vol. 1.*

34. Directa est, quæ competit Domino rei gestæ, & eius hæredi aduersus gestorem, eiusque heredem ut gestus sui rationem reddat, & si quid male administravit, reficiat, *l. 5. ff. de O. & A. in princ. Vvesenb. d. loc. n. 10. nec refert, siue vnum, siue plura, d. l. 3. §. 2. ff. hic. siue per se, siue per alium gesserit, l. 21. §. 3. ff. eod. cuius legis initium, notatu dignum. De requisitis huius actionis, vide Schneid. supra cit. loc. n. 6.*

35. In hac venit omne damnum quo damnificatus est dominus, quodque cum lucro in alia parte compensari nequit, *Hackelm. disp. ad pand. 11. thes. 8. lit. R. item dolus, lata & leuis culpa, l. 23. ff. de R. I. ubi legendum (quidam) non (quidem) l. 20. C. h. tit.*

36. Illud sanè expeditum est, sed an etiam leuissimam culpam præstet gestor, variant iuris interpretes. Negat. *Ant. Fab. in l. 11. de neg. gest. Pet. Fab. ad l. 23. de reg. Iur.* Affirmant *Vult. 1. discept. schol. 11. q. 1. sentent. Paul. 4.* Omnis scrupulus distinctione eximi posse mihi videtur. Leuissimam culpam præstandam esse, si alius diligentior commodius erat negotia domini administraturus, *§. 1. de obligat. quæ ex quasi contractu. vide Bach. ad Treut. hic. thes. 5.*

37. Imò aliquando ne leuis culpa præstabitur, ut cum quis affectione ductus, ne mea bona distrahantur, negotijs meis se obtulit, sed solum dolum præstat, *l. 3. §. 9. ff. h. t. iuxta tritam Dd. regulam. Is qui negotia deserta gerit, de dolo & lata culpa tenetur, arg. l. 23. ff. de reg. Iur. l. 223. & 226. de V. S.*

38. Huic quæstioni est proxima controuersia vtrum negotiorum gestor, de casibus fortuitis teneatur, *Neg. per l. 6. C. de pignor. act. & l. 23. ff. de R. I.*

Fac.

Fac. quod quoties res sine culpa vel dolo perit, domino suo intereat, *l. 9. C. de pignor. act.* excipe nisi gestor causam huic casui præstiterit, §. 2. *Inst. quibus modis re contrah. oblig.* vel nisi pacto in se receperit, *l. 22. C. de neg. g. st. l. 1. C. de commod. Cost. ad l. 5. §. nunc videndum. ff. commodat.*

39. Hoc etiam loco quæstio, ab interpretibus iuris vtrimq; disputata, moueri potest, an casus in se suscipiens fortuitos, intelligatur etiam in se suscepisse insolitos, ita *Crauetta cons. 294 n. 8. vers. insertur ex præmissis.* quis autem dicatur insolitus, cum primis cōtrouersum est apud Ictos. *Menoch. 2. de arbitr. Iud. cas. 80. n. 7.* relinquit id iudicis arbitrio: addens casum insolitum fuisse immensam illam locustarum quantitatem, quæ in Italia Anno 1542. visa fuit, & licet in *l. 18. C. locat.* ingentis locustarum numeri mentio fiat, hic tamen prædictam multitudinem non attigit.

40. Præterea venit in hanc actionem, vt gestor restituat quicquid eo gestu, quocumque modo est acquisitum, vna cum vsuris, *l. 19 §. pen. l. 31. §. 3. l. 38. ff. hoc tit. & fructibus, d. l. 8. §. 1. VVesenb. parat. hic. n. 11.*

41. Contraria negotiorum gestorū actio est, quæ competit ei, qui spontè aliena negotia gessit, & eius hæredi, aduersus dominum rei gestæ, eiusq; hæredem, *l. 6. 7. C. 17. C. h. tit.* ad repetendum id, quod de suo in negotiorum gestionem impendit, & quicquid eo nomine abest vel abfuturum est, *l. 2. l. 9. in fin. l. 28. ff. eod.*

42. Competit hæc actio licet inutiliter gesserit, modo dominus gestum probarit, ratumq; habuerit, *d. l. 9. ff. hic.* nec refert, quoad actionem videlicet negotiorum gestorū gestori dandam, an negotia alicuius ab initio fuerint, an vero ex post facto eius affecta sint, *Treut. hic. thes. 6.*

43. Hinc igitur quæstio suboritur, longè intricatissima, ane si id quod nomine absentis gestum fuerit, postea ratum habuerit, competat mandati, an verò negotiorum gestorū, actio? Disting. Si negotium, non meum mea contemplatione gestū fuerit, hæc *l. 6. §. 6. l. 50. mandati.* Si verò meum negotium mea contemplatione sit gestum, & ego ratum habeam, illa mandati scilicet erit actio, *l. 60. ff. de reg. Iur. l. 56. ff. de Iudic. l. 25. C. de donat. inter vir. C. vx. Pac. 2. antin. quest. 53.*

44. Vtilis autem actio negotiorum gestorū est, quæ inter eos competit, quorum negotia ab alijs non sponte, sed necessitate, necessitatisue opinione coactis gesta sunt, *l. 3 C. 10. l. 19. §. 2. ff. h. t. Olend. class. 4. act. 25. in pract. act. directæ,* & cum vel aliæ actiones propriæ, in huiusmodi casu deficiunt, vel ex verbis & mente edicti, directè non possunt teneri, hæc competit, *VVesenb. parat. hic n. 8.*

45. Verum etiam si in extraordinarijs iudicij formularum, conceptio non obseruetur, & superuacua sit hæc subtilitas, vt ait Imperator, & ideo directæ & vtilis eadem potestas, idemq; effectus, *l. 47. §. 1. ff. hic §. fin. Inst. de interd. vide Cui. 15. assert. 11.*

46. Differentiam tamen actionis directæ & vtilis, cuius sæpe in iure fit
men-

mentio hinc colligi, rectè cognosci & percipi statuimus, Dd. *Glossa & Bart.*
in l. Curatoris 17. C. h. t. vide thes. 27. bic

De Calumniatoribus.

47. Atque ita cum huc vsque de ijs negotiorum gestoribus, qui bona fide gerunt, actum fuerit, nunc de ijs, qui ex malitia in iudicio negotium, id est controuersiam faciunt, agendum, eamque causam huius, cum præcedenti titulo, connexionis esse, cum *Zasio in paratit. hic.* defendam.

48. Calumniator accipitur generaliter & specialiter: Generaliter, vt in *princ. proæm. Inst.* Sic Calumniator dicitur, qui per fraudem & frustrationem aliquem lite vexat, *Paul. lib. 1. sentent. tit. 5.* ita refert *Pomponius* in l. 12. tabularum scriptum fuisse, *qui caluitur pedemue struit, manum endo iacito* inde à Caluitur calumniatores appellati sunt, & eandem calumniæ, calumniatoris, & cauillatoris rationem notationis esse, quod instar *calui* frustrètur & decipiant, ait *Goëdd. in l. 233. ff. de verb. signific. n. 2.*

49. Caluitur autem deriuatur à Caluis mimis, quos si quis per capillos capere vellet, frustraretur ac deciperetur, *Non. Marcel. de propriet. sermon. c. 1.* vnde veteres *occasionem* pingebant Deam, in anteriore capitis parte capillis hirsutam, vt facile primum oblata apprehendi posset: in occipitio verò caluam, quod præterita pœnitentia ductos deciperet, nec amplius se apprehendi pateretur atque nouacula, quam, dextra manu in tergum reflexâ, continebat, omnem omnino moram prætereunti sibi iniectam præscindebat.

50. In hoc edicto calumniator est, qui sciens prudensque per fraudem alicui negotium facit, *l. 1. ff. h. t. l. 1. ad S Ct. Turpil.* siue in ciuili priuato, siue in criminali publico iudicio, *arg. tot. t. ff. ad S Ct. Turpil.* in hoc falsa crimina intentando *l. 1. §. 1. d. tit. ad S Ct. Turpil.* in illo vexandi hominis gratia, actionem petitionemque intentando, *l. 43. ff. de petit. hered.*

51. Calumniam facere dicuntur omnes, siue sint Iudices, siue Aduocati, siue Procuratores aduersarij, *Gloss. & Dd. in l. 1. §. 3. ff. de calumn.* siue ipse aduersarius, siue alius quicumque *l. 3. ff. eod. in princ.* qui siue ita se offerant, vt alteri, vel ipsi vel per alium negotium calumniosè faciant, *d. l. 3. §. 1. vbi gloss. in verbo siue fecit. VVesenb. in parat. hic. n. 4.* vel qui turpiter dederunt, *d. l. 1. §. 3. l. 3. §. 3. ibi Bart. ff. hic.* siue fiat aliquod tale negotium, siue non, siue pecuniam vel aliud pro pecunia acceperint, *d. l. 1. in fin.* idque siue ante vel post cœptum iudicium, *d. l. 1. §. 2. VVesenb. d. loc.*

52. Actio quæ ex hoc edicto nascitur est in factum, & competit ei qui dedit pecuniam, ne calumniosum negotium in iure pateretur, vt & patri, si vt filiosam. negotium fieret quid acceptum est, *l. 7. §. 1. vbi gloss. ff. h. t. aduersus eum,* qui aliena negotia fraudulenter & per calumniam accepit, *l. 7. §. 1. ff. hic.* intra annum ad quadrupli, post ad simpli pœnam, *d. l. 1. ff. hic.* ita tamen vt nec hæredi, *l. 4.* nec in hæredem, nisi quod ad eum peruenit, detur, *l. 5. ff. b. t. VVesenb. d. loc. n. 4.*

53. Præter hanc actionem, etiam alia tam ciuiles, quam criminales competunt. vide *Vvesenb. n. 5.* Ciuiles, vt sunt condictio ob turpem causam, si sola accipientis versetur turpitudine (quod suo tempore Deo dante in materia de condictioibus explanabitur) si tamen condictum fuerit, tollitur hæc actio, & contra, nam cum vtriq; insit rei persecutio, bona fides non patitur idem bis exigi, *l. 57. ff. de reg. Iur. Vvesenb, d. n. 5.*

54. Deinde condictio competit ex constitutione Antonini, qua prohibuit Iudici vel aduersario in publicis extra causam transactionis dari, & ex eo litem perire iussit, *l. 1. C. de pœn. Iud. qui malè iudic.*

55. Criminales sunt lex Iulia repetundarum, *l. 1. §. 1. h. t. l. lex Iulia. §. vlt. ff. ad L. Iul. repetund.* pœna talionis, *l. vlt. C. de accusat.* quamuis inscriptiones hodie non vsurpentur, *Bald. in l. Athletas §. Calumniator. n. 6. ff. de his qui not. infam.* Lex Iulia de vi priuata ex Scto Volusimo, *l. 6. ff. ead. L. Iulia de vi priuata.* Iudicium concussionis, *l. 1. & 2. ff. de concuss.* Lex Cornelia de falsis, *l. 1. §. 1. ff. ad L. Cornel. de falsis.* si capitalem fraudẽ cuiquam machinati sunt, de Sicarijs, *l. 1. in princ. ad L. Cornel. de sic.* Postremo senatusconsultum Turpilianum, *l. 1. & t. t. ad Sct. Turpil.* atque ita variè & pro modo & varietate delicti puniuntur.

56. Olim in publico iudicio frons calumniatoris lit. C. vel K. notabatur, vnde calumniatori opponitur integræ frontis homo, *l. 13. ff. de testib.* ne autem facies, quæ ad similitudinẽ pulchritudinis cœlestis est figurata, maculetur hanc L. Remniam Imp. Constantinus abrogauit, *l. 17. C. de pœn.* Aliquando etiam apud Romanos Calumniatorem vrbe eiectum legimus, *Cornel. Tacit. l. 5. annal.* Hodie arbitrio Iudicis pro delicti qualitate, punitur, *Mench. 2. arbit. Iud. quest. 322. n. 3.* & infamia notatur, *l. 1. ff. de his qui infam. not.* Calumniæ in publicis aut priuatis iudicijs damnatus, extra ordinem plexus fuit, teste Paulo *lib. 1. sentent. t. t. 5.* quod nunc tralatitium est, postquã veteribus accusationum solennibus, antiquatis, extra ordinem, de criminibus cognosci per constitutiones coepit, *l. 8. ff. de pub. iud. l. 7. §. vlt. ff. ad L. Iul. repet. vide Cuiac. 8. obseruat. 33.*


57. Hic pro Coronide annecti potest, quod iure naturali pœna Calumniatorum probetur, *Dom. Soto de Inst. & Iur. lib. 5. quest. 5. art. 4. Aristot. lib. 6. polit. cap. 5.* censuit illos in benè constituta repub. grauiter esse puniendos. *Demostheues in orat. contra Aristog.* calumniatores crudeles appellat, ipsosq; veluti viperinam habentes naturã puniendos esse admonet, *Argesilaus* illos maiori odio quã fures insectabatur, *Crauet. in annot. ad praxin Vestrj lib. 6. cap. vlt. n. 2.* Quid multis? Iure etiam diuino hoc crimen, *Leuit. 19. vers. 13.* abominari, & *Esther cap. 7.* Aman calumniatorem eodem laqueo suspensum fuisse, quo innocentem Mardocheum suspendi calumniosè curauerat, legimus. Ceteras quæstiones, quæ vel incuria omisæ, vel maturioris iudicij penuria minus aptè positæ videbuntur, Lectori beneuolo amputandas, meliori ordine disponendas & indagandas re' inquo.


F I N I S.

X 2874408

94 A 7386

VD 17






Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



10.



LEGALIA,
GOTIIS
ET CA-
TORIBVS.

alimenterum immixta.

VÆ
ante Aura.

IDIBVS
ultissimis Viris ac DD.

ANNO, I. V. Doctore, &
ESS, SS. LL. Licentiato,
tatore & Fisco.

ima Agrippinensis Vniuersitatis
gio, examini publico discu-
ac submittit

Saffenburg, Schledensis.
1629. die 3. Maij.



GRIPPINÆ,
ch, prope Augustinianos.

